DOMINICI CARLINII

DISSERTATIO NOMICA

SEU

COMMENTARIUS

AD

Novellam Imp. Theodoſii junioris titulo III.

DE

Judaeis Samaritanis haereticis & paganis

ET

Ad Cod. Juſtinian. l. XIX. de Judaeis l. V.
de Apoſtatis & l. VII.
de Haereticis.



Baleſtra del. *Hylbrouck Sculp.*

VERONAE MDCCLII.

Apud Jo. Albertum Tumermanum in Vico Artium

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

ANTONINO VALSECHIO
Sacro Oratori ornatiſſimo
DOMINICUS CARLINIUS S.

M*Irabitur fortaſſe quiſpiam, Clariſſime Valſechi, cui donem hunc libellum vindemialibus horis pumice arido expolitum. Quid enim inquiet cum ſacris profana, quid lex Caeſaris cum lege Dei? Cum tamen lex ſit* recta ratio, quae jubet ea quae facienda ſunt prohibetque contraria, (a) *ſitque lex donum Dei*, (b) *rationem quoquedonum Dei eſſe neceſſe eſt; propterea divinam humanamque legem inter ſe vinculo quodam ſociari non inficiabitur. Cui magis igitur quem tibi conterraneo meo ſacras leges peroranti hunc libellum ſcribam? Tu in haereticorum ſectas invehis, hic reperies a Theodoſio juniore haereſes profligatas: Tu deliran-*

tium

(*a*) Cicero lib. 1. *de legibus*.
(*b*) Demoſthenes Orat. 1. adverſas Ariſtogiton. & l. 2. ff. *de legibus*

tiam & prava ſententium dicteria contundis, divinamque legem aliarum eſſe regulam doces, habes hic inſigne pietatis exemplum Chriſtiano Principe dignum, quod inſatiabili Catholicae religionis honore *edidit Imp. Theodoſius, alterius cognomento* Magni *ex filio nepos. Uti enim hic inter initia imperii ſui fidei* ἔκθεσιν *dedit* (c) *ut* Chriſtiani Catholici *ab haereticis diſtinguerentur, ita ille perſpiciens* praecipuam Imperatoriae majeſtatis curam eſſe verae religionis indaginem (d) *Orientem inter haereſes fluctuantem ſtuduit ab his pravis hominibus liberare. Quamobrem inter alias legem novellam evulgavit, quam hac mea qualicumque diſſertatione ſum proſequutas. Tu interea hoc meum munuſculum gratanter accipe & vale. Veronae XVI. kal. Decem. A.* C. *MDCCLII.*

Ad

(*c*) L. 2. C. Theod. *de fide Catholica*, quae eſt l. 1. C. Juſt. *de ſumma Trinitate*.

(*d*) Initio novellae inter Theod. tit. 3.

Ad Lectorem.

SI legum latarum monumenta extarent, quas Imp. Juſtinianus in Codicem ſuum tranſtulit, quantam ex illis caperent utilitatem, ſatis intelligunt Juriſtudioſi ex pariatione illorum quae ſuperſunt, noſſent etiam viri eruditi omnes quantum eſſent profutura ad chronologiam, hiſtoriam, aliarumque rerum notitiam. Verum cum ſolum Codici ſui auctoritatem tribuerit aliarum legum poteſtate deminuta, earum quoque uſus ſenſim evanuit, & una cum earum deſuetudine monumenta pene omnia perierunt. Pene inquam omnia, nam ab Hadriano, a quo incipit ejus Codex ex l. 1. tit. *de teſtam. & quemadmodum teſtam.* uſque ad Conſtaninum Magnum ex tot illis legibus ab eo relatis exilia ſunt quae ſuperſunt fragmenta in reliquiis Codicum Gregoriani & Hermogeniani: a Conſtantino vero uſque ad A. C. CCCCXXXVIII. quo deſinit Codex Theodoſianus, deſunt tercentum & viginti conſtitutiones in eodem Theodoſiano Codice, quaeque ſolum referuntur in Codice Juſtinianeo, ut videre eſt in ſupplemento Cod. Theodoſiani edito poſt Gloſſarium nomicum V. Cl. Jacobi Gothofredi: ab eo vero anno uſque ad A. C. CCCCLXVIII. quo deſinunt leges novellae hactenus editae haud pauca ſunt monumenta deperdita; ab eo denique anno uſque ad alium Chriſti DXXVIII. quo novus Codex fieri a Juſtiniano juſſus eſt, quot quantaque monumenta perierunt! Inter autem leges novellas quae ſuperſunt, eſt inſigne pietatis & religionis monumentum Imp. Theodoſii junioris, quod extat tit. 3. novellarum ejuſdem Imperat. *de Judaeis, Samaritanis, haereticis, & paganis*, ex quo Juſtinianei Codicis Collectores tres leges deſumptas diverſis ſub titulis poſuerunt, quae omnia

in

in praeſentia explicatum eo praemiſſa lege novella cum A-
niani interpretatione, & tribus illis legibus. Ex quorum
omnium collatione liquebit quae ampliaverir, quae variave-
rit, quaeque omiſerit Tribonianus. Cum denique haec no-
vella primum agat de Judaeis & Samaritanis, inde de Pa-
ganis, demum de aliis haereticis, liquebit nedum Anianum
ſolum primum novellae partem interpretatum eſſe, verum
illam confuſe admodum, neque ſecundum ordinem ipſius
novellae.

ELEN.

ELENCHUS

Capitum diſſertationis

CAPUT I.

FLorentii dignitates ſub Theodoſio juniore. Emendantur quaedam legum ſubſcriptiones. Lex V. C. Juſt. de Apoſtatis deſumpta ex hac novella. Inquiritar cauſa hujus novellae condendae.

CAPUT II.

Lectio novellae variis locis defenditur. Interpretum quaeſtio, & Gloſſæ explicatio in l. 19. C. Juſt. de Judaeis. Explicatur §. ultimus l. 3. ff. de decurion. Judaei privantur a Theodoſio juniore honorum adminiſtratione olim eis ab Imp. Severo permiſſa. Judaeorum circumciſio etiam gentilibus Romanis inviſa.

CAPUT III.

Municipalium munerum & Cohortalium officiorum continuatio Judaeis impoſita a Theodoſio. Cohortales alii a Curialibus.

CAPUT IV.

Apparitores Praeſidum. Judaeis Theodoſius vetat apparitionem in privatis negotiis, & carcerali praeſſe cuſtodiae. Optio carceris. Commentarienſes.

CAPUT V.

Stratores alii a Commentarienſibus. Cuſtodia delicata. Explicatur §. 1. l. 4. ff. de officio Proconſ.

CA-

CAPUT VI.

Paganorum ſuperſtitio a Theodoſio profligata. Imp. Marciani l. 7. C. de Paganis illuſtrata. Inquiritur annus l. 8. dicti tit. In haereticorum ſectas invehit Theodoſius.

CAPUT VII.

Antiquae formulae adloquendi Praeſides in legibus ſervatae etiam poſt Conſtantinum Magnum. Thalaſſius Praef. Praet. Illirici Orientalis ſub Theodoſio juniore.

LEX

LEX NOVELLA

Imp. Theodoſii junioris inter Theodoſianas Tit. III. *de Judaeis, Samaritanis, haereticis, & paganis.*

Impp. THEODOSIUS & Valentinianus AA. Florentio (*a*) PF. P

PROEMIUM.

INter caeteras ſollicitudines, quas amor publicus pervigili cogitatione nobis indixit, praecipuam imperatoriae majeſtatis curam eſſe perſpicimus verae religionis indaginem, cujus ſi cultum tenere potueris, (*b*) iter proſperitatis humanis aperimus inceptis. Quod uſu longae aetatis experti, piae mentis arbitrio ad poſteros uſque perennitatis jure fundare decrevimus ceremonias ſanctitatis. Quis enim tam mente captus, tam novae feritatis immanitate damnatus eſt, ut cum videat coelum divinae artis imperio, incredibili celeritate intra ſua

NOTAE.

[*a*] Fuit hic Florentius PF. P. Orientis, ad quem plures leges datae ſunt, deque eo mox in Commentario.

[*b*] *Potuerimus* legit Cujacius, quam lectionem recepit J. Gothofredus.

ſpatia metas temporum terminare: cum ſiderum motum, vitae commoda moderantem, dotatam (*c*) meſſibus terram, mare liquidum, & immenſi operis vaſtitatem finibus naturae concluſam, tanti ſecreti, tantae fabricae non quaerat auctorem? quod ſenſibus excaecatos (*d*) Judaeos, Samaritas, paganos, & caetera haereticorum genera portentorum audere cognoſcimus? Quos (*e*) ſi adſanitatem mentis egregiae lege medica (*f*) revocare conemur, ſeveritatis culpam ipſi praeſtabunt: qui durae frontis obſtinato piaculo locum veniae non relinquunt. Quamobrem cum ſententia veteri, deſperatis morbis nulla ſit adhibenda curatio, (*g*) tandem ne ferales ſectae in vitam, imme-

(*c*) *Donatam* manuſcriptus Gothanus obſervante V. Cl. Joan. Daniele Ritter in notis ad hanc novellam editam cum aliis fine Tomi ſexti Cod. Theod.

(*d*) Ita legendum eſſe ſuadent ſequentia.

(*e*) Sichardus legit *quod* ſed nil immutandum, etenim *quos* refertur ad eos quos paulo ſupra nominavit.

(*f*) Sichardus habet *legum edicta*, eleganter tamen *lege medica*, de quo in Comment.

[*g*] Hippocratis ſententia *de arte* ſeu *περὶ τέχνης* capp. 4. & 14.

memores noſtri ſaeculi *(h)* velut indiſcreta confeſſione licentius *(i)* evagentur.

§. I.

Judaeis & Samaritanis Theodoſius vetat honorum adminiſtrationem, & novas Synagogas extruere, ſed tantum ruinam minantes reparare proſcriptione bonorum & poena ſanguinis indicta ſi Catholicum ad eorum ſectam traduxerint.

*HAc *victura* in omne aevum lege ſancimus: Neminem Judaeum, neminem Samaritam, neutra lege conſtantem *(k)* ad honores & dignitates, accedere *(l)*. Nulli adminiſtratio-

B 2 nem

[h] *Temporis noſtri* idem Theodoſius novella 1. locutio, qua Principes gloriabantur felicitate imperii ſui. Exempla alia collegit Briſſonius Formul. lib. 3. idque factum ut felices ſe crederent ſubditi ſub Romano imperio degere.

[i] Ita Mſs. Wrceburcenſis, & Gothanus ex V. Cl. in notis, rectius tamen editi libri *confuſione licentius*.

* Lex *hac valitura* 19. C. de Judaeis hinc deſumpta.

(k) *Neutra lege conſtantem*: de quorum verborum intellectu vide Commentarium.

(l) Mſs. Gothanus obſervante V. Cl. habet *ad honoris dignitatem*, quod neque ſuſtineri poteſt, ſed vulgaris lectio praeferenda, quae eſt generalior.

L. 19. C. Juſtin. de Judaeis tit. 9. lib. 1.

Iidem AA. (1) Florentio P. P

Hac *valitura* in omne aevum lege ſancimus, neminem Judaeorum, *quibus omnes adminiſtrationes interdictae ſunt* (2) nec defenſoris *civitatis* fungi ſaltem officio, *nec patriae honorem* (3) *arripere concedimus*: ne

NOTAE.

[1] Ideſt Theodoſ. & Valentinianus.

[2] *Omnes adminiſtrationes*, hoc eſt *honores & dignitates*. Caeterum etiam munus eſt adminiſtratio ſine dignitate l. 14. ff. de *muneribus*, & tamen quia oneroſum, id ſuſtinere voluit Judaeos ut ex novella.

[3] *Nec patriae honorem arripere concedimus* addita a Triboniano.

nem patere civilis obſequii, nec defenſoris (*m*) fungi ſaltim officio. Nefas quippe credimus ut ſupernae Majeſtati, & Romanis legibus inimici ultores etiam noſtrarum legum ſurreptivae jurisdictionis habeantur obtentu, & acquiſitae dignitatis auctoritate muniti, adverſum Chriſtianos, & ipſos plerumque ſacrae religionis Antiſtites velut inſultantes fidei noſtrae, judicandi vel pronunciandi quod velint habeant poteſtatem. Illud etiam pari conſideratione ſancientes (*n*) ne qua Synagoga in novam fabricam ſurgat, fulciendi veteres permiſſa licentia, quae ruinam praeſentaneam minitantur (*o*). His adijcimus ut quicumque * ſervum ſeu ingenuum invitum, vel ſuaſione plectenda ex cultu Chriſtianæ religionis in nefandam ſectam ritumve traduxerit cum diſpen-

(*m*) *Defenſoris*, hoc eſt civitatis ut recte apud Juſtinianum, quem Syndicum vocant Hermogenianus & Chariſius l. 1. §. 2. l. 18. §. 13. ff. *de muneribus*.

[*n*] *Pari conſideratione rationis arguentes* Cod. Juſtin. alii *arcentes*, ſed rectius *ſancientes*.

[*o*] Ita cum Gothofredo & aliis lego.

* Gothofredus *quiſquis* Tribunianus autem ex hoc novellae paragraffo compoſuit l. *cum* 5. C. de *Apoſtatis*.

ne adquiſiti ſibi officii (4) auctoritate muniti, adverſus Chriſtianos, & ipſos plerumque ſacrae religionis Antiſtites, velut inſultantes fidei noſtrae, judicandi, vel pronunciandi *quamlibet habeant* poteſtatem. §. 1. Illud etiam pari conſideratione *rationis arguentes praecipimus*, ne qua (*Judaica*) Synagoga in novam fabricam ſurgat, fulciendi veteres permiſſa licentia, *quae ruinam minantur*. §. 2. Quiſquis igitur, vel infulat *acceperit*, *quaeſitis* dignitatibus non potiatur: *vel* (*ſi*) *ad officia vetita irrepſerit*, *ab his penitus* repellatur. (5) vel (*ſi*) Synagogam extruxerit compendio Catholicae Eccleſiae noverit ſe laboraſſe. *Et* qui ad honores *& dignitates* irrepſerit, habeatur ut *antea* condicionis extremae, *etſi* honorariam (*illicite*) promeruerit dignitatem. Et qui Synagogae fabricam *coeperit*, non ſtudio reparandi, cum damno quinquaginta librarum auri, fraudetur auſibus ſuis. Cernat praeterea bona ſua proſcripta, mox poenae ſanguinis deſtinandus, (*quaſi*) qui fidem

[4] Officium pro dignitate.

[5] Haec *vel ſi ad officia repellatur* addita a Tribonlano.

pendio fortunarum capite puniendum. Ut quiſquis igitur vel inſulas coeperit, acquiſitis dignitatibus non potiatur, vel Synagogam extruxerit, compendio Eccleſiae catholicae ſe noverit laboraſſe. Immo qui adhonores irrepſerit, habeatur ut ante condicionis extremae, (*p*) etiamſi honorariam promerueverit dignitatem. Et qui Synagogae fabricam coepit, non ſtudio reparandi, cum damno quinquaginta librarum auri, fraudetur auſibus ſuis. Cernat praeterea bona ſua proſcribta, poenae mox ſanguinis deſtinandus, qui fidem alterius expugnavit perverſa doctrina.

§. 2.

Curialium & Cohortalium officiorum continuatio eis a Theodoſio jubetur non tamen apparitores eſſe in privatis negotiis, nec cuſtodiae carcerum praeeſſe.

ET quoniam decet Imperatoriam majeſtatem ea pro-

(*p*) Mſs. Gothanus *extraneae*.

fidem alterius expugnavit perverſa doctrina. Dat. Prid kal. Febr. Conſtantinopoli Theod. A. XVII. Conſ. & qui fuerit nuntiatus. (6) A.C. CCCCXXXIX.

L. 5. C. Juſtin. de Apoſtatis tit. 7. lib. 1.
Iidem AA. Florentio P. P

Eum *qui* (7) ſervum *ſive* ingenuum invitum, *ſeu* ſuaſione plectenda, ex cultu Chriſtianae religionis in nefandam ſectam ritumve transduxerit, cum diſpendio fortunarum capite puniendum *eſſe cenſemus*. Dat. Prid. kal. Febr. Conſtantinopoli Theod. A. XVII. Conſ. & qui fuerit nuntiatus. (8) A. C. CCCCXXXIX.

[6] Ita ſupplenda eſt ſubſcriptio ex novella.

(7) Pro *quicumque*: verba de Judaeis concepta a Theodoſio, converſa in Apoſtatas a Triboniano.

(8) Male in Cod. Juſtin. Theod. XV. & Valentin. IV. AA. Coſſ. 435.

proviſione cuncta complecti, ut in nullo publica laedatur utilitas * Curiales civitatum omnium, necnon cohortalinos, oneroſis quin etiam militiae ſeu diverſis officiis, facultatum, & perſonalium munerum obligatos, ſuis ordinibus, cujuſcumque ſectae ſint (*q*) inhaerere cenſemus, (*r*) ne videamur hominibus execrandis contumelioſo ambitu immunitatis beneficium praeſtitiſſe, quos volumus hujus conſtitutionis auctoritate damnare. Hac exceptione ſervata, ut apparitores memoratarum ſectarum, in privatis, dumtaxat negotiis, nullius Judicis ſententias exequantur, nec carcerali praeſint cuſtodiae, ne Chriſtiani, ut fieri adſolet, non numquam obſtruſi cuſtodum odiis alterum (*ſ*) carcerem patiantur, incertum an jure videantur incluſi.

L. 7. C. Juſtin. de haereticis tit. 5. lib. 1.

Iidem AA. Florentio P. P

Curiales omnium civitatum, (9) oneroſis quin etiam militiae, ſeu diverſis officiis facultatum, & perſonalium munerum obligatos, ſuis ordinibus cujuſcumque ſectae ſint, (10) inhaerere cenſemus, ne videamur hominibus execrandis contumelioſo ambitu immunitatis beneficium praeſtitiſſe, quos volumus hujus conſtitutionis auctoritate *damnari*. Dat. Prid. kal. Febr. Conſtantinopoli Theod. A. XVII. Conſ. & qui fuerit nuntiatus. A. C. CCCCXXXIX. (11)

§. 3.

* Lex Curiales 7. de haeret. hinc deſumpta.

(*q*) *Sint* Mſs. Wrceburc.

(*r*) *Cenſuimus* Mſs. Gothan.

(*ſ*) Forte *atrum*.

[9] Omiſſis cohortalinis, qui alii ſunt a Curialibus.

[10] *Cujuſcumque ſectae ſint*. Haec de omnibus haereticis accepit Tribonian. propterea eadem collocavit ſub tit. de haeret.

[11] Male in C. Juſtin. Theod. A. XVI. & Feſto Coſſ.

§. 3.

Pagani ſacrificantes bonis & vita privantur.

HInc perſpicit noſtra clementia, paganorum quoque & gentilis immanitatis vigiliam nos debere ſortiri, qui naturali vaeſania & licentia, pertinaci *(t)* verae religionis tramite diſidentes nefarios ſacrificiorum ritus, & funeſtae ſuperſtitionis errores occultis exercere quodam modo ſollicitudinibus *(u)* dedignantur, niſi ad ſupernae majeſtatis injuriam, & temporis noſtri contemptum, eorum ſcelera profeſſionis genere publicentur: quos non promulgatarum legum mille terrores, non denuntiati exilii poena (*x*) compeſcunt, ut ſi emendari non poſſint, mole ſaltem criminum, & illuvie victimarum diſcerent abſtinere. Sed prorſus ea furoris peccatur (*y*) audacia,

[*t*] *Et licentia pertinaci*, virgula enim poſt ponenda, ut advertit V. Cl. in notis.

(*u*) *Solitudinibus* legendum eſſe jam Vir praeclarus docuit in notis.

[*x*] Ab ipſo Theodoſio A. C. 423. l. 23. C. Theod. de paganis.

[*y*] Nil immutandum ut reſpondeat ſenſus ad ſequentia.

dacia, iis (z) improborum conatibus patientia noſtra pulſatur, ut ii oblivisci cupiat, diſſimulare non poſſit. Quamquam igitur amor religionis nunquam poſſit eſſe ſecurus, quamquam pagana (*aa*) dementia cunctorum ſuppliciorum acerbitates expoſcat, lenitatis tamen memores nobis innatae, trabali juſſione *(bb)* decrevimus, ut quicumque pollutis contaminatiſque mentibus in ſacrificio quolibet in loco fuerit comprehenſus, in fortunas ejus, in ſanguinem *(cc)* ira noſtra conſurgat. Oportet enim dare nos hanc victimam meliorem ara Chriſtianitatis intacta ſervata. An diutius perferimus (*dd)* mutari temporum vices, irata coeli temperies: quae paganorum exacerbata perfidia neſcit naturae libramenta ſervare? Unde enim ver ſolitam gratiam abjuravit? *(ee)* Unde

[z] Non *bis* ut Sichardus, hoc eſt *ea audacia*, iis *conatibus* ut apud Baronium n. IX. A. C 439.

[*aa*] Ita Baronius.

[*bb*] Hoc eſt ſtabili, firmiſſima lege, vide etiam notata a V. Cl. in notis.

[*cc*] Ita etiam l 25. ejuſdem Theod. C. Theod. de paganis.

[*dd*] *Perferemus* Baronius.

[*ee*] *Unde abjuravit*? haec omnia omiſſa a Baronio.

Unde aeſtas meſſe jejuna laborioſum agricolam in ſpe deſtituit ariſtarum? Unde hyemis intemperata ferocitas ubertatem terrarum penetrabili frigore ſterilitatis laeſione damnavit? niſi quod ad impietatis vindictam tranſit lege ſua naturae decretum. *(ff)* Quod ne poſthac ſuſtinere cogamur, pacifica ultione, ut diximus, expianda *(gg)* eſt ſuperni numinis veneranda majeſtas.

§. 4.

Deſcribuntur quaedam haereticorum ſectae, contra quos jubetur legum executio.

SUpereſt ut quae in Manichaeos Deo ſemper offenſos, quae in Eunomianos, haereticae fatuitatis auctores, quae in Montaniſtas, Catafrigas, *(hh)* Fotinianos, Priſcillaniſtas. *(ii)* Aſcodrogos,

C Hy-

(ff) Nihil immutandum. De hac lectione vide Commentarium. Haec omnia Theodoſius regerit in paganos, quemadmodum ipſi Chriſtianis objiciebant vide loca a V. Cl. collecta in nota [ppp].

(gg) Ita Mſs. Goth. pro *piando* ut in vulgaribus.

(hh) Ut apud Euſebium Hiſt. Eccl. lib. 5. c. 14.

(ii) Videtur diſtinguere Theodoſius Catafrigas a Priſcillaniſtis.

Hydroparaſtatas, Borboritas, Ophitas, innumerabilibus conſtitutionibus latae ſunt ceſſante deſidia, celeri executioni mandentur. Florenti P. K. AA.(*kk*).

Epilogus.

INluſtris igitur & magnifica auctoritas tua, cui cordi eſt tum divinis, tum principalibus adhibere juſſionibus famulatum *(ll)*, quae inſatiabili Catholicae religionis honore decrevimus, propoſitis excellentiae tuae (*mm*) ſolemniter edictis(*nn*)in omnium faciat pervenire notitiam. Provinciarum quoque moderatoribus praecipiat (*oo*) intimari, ut eorum pari ſollicitudine cunctis civitatibus atque provinciis, (*pp*) quae

[*kk*] Ita Mſs. Wrceburc. & Gothan obſervante V. Cl. in notis de quorum explicatione vide Comment.

[*ll*] *Adhibere famulatum* pro obedire, vide Symmachi exempla a V. Cl. adducta.

[*mm*] Ita lego, non *ſuae*.

(*nn*) Edicta proponebantur a Pf. P. quibus lex Principis evulgabatur, ut nemo legem ignoraret; ideo aliquando legitur *Propoſita ſub edicto Praef Praet.* vide loca congeſta a V. Cl. in notis.

(*oo*) *Praecipiat*, ita ſuperius *faciat*. Ms. Wrceb. *faciet pervenire notitiam*; *provinciarum quoque moderatoribus praeceptum intimari*.

(*pp*) Scilicet proprie Orientis, quae Theodoſio parebant.

quae neceſſario ſancimus innoteſcant. Dat. Prid. kal. (*qq*) Febr. Conſtantinop. Theod. A. XVII. Conſ. (*rr*) & qui fuerit nuntiatus (*ss*). Eodem exemplo viro illuſtri PF. P. Illyrici (*tt*). A. C. ccccxxxix.

Aniani interpretatio.

Haec lex ſpecialiter jubet, ut nullus Judaeus, nullus Samaritanus ad ullum (*uu*) militiae aut adminiſtrationis honorem poſſit accedere, neque de-

[*qq*] Hunc diem ſervant tres leges Cod. Juſtin. & libri editi Ms. Gothan. habet *Id.* errore amanuenſis.

[*rr*] A. C. ccccxxxix. quo octava quinquennalia egit imperii ſui Theodoſius initi IV. Id. Januar. ex Chronico Paſchali A. C. ccccii. propterea octava quinquennalia includunt in eum annum: unde Marcellinus in Chronico ſub ejus conſolatu XVII. habet *Theodoſius Imp. octava quinquennalia dedit*, de quibus vide Pagium h. a. n. 1. Haec autem celebriora reddidit hac inſigni novella.

[*ss*] Ita editi libri, ex qua liquet Feſtum Occidentis conſulem nondum in Orientem innotuiſſe.

[*tt*] *Eodem illyrici*: quae verba licet alicubi abſint, tamen genuina eſſe optime vidit V.Cl. in notis: ita l. 187. C. Theod. *de Decurion. Eodem exemplo Eubulo Pf. P. Illyrici.* Attamen licet hic omiſſum fuerit nomen Pf P. Illyrici Orientalis, erat Thalaſſius ex novella ejuſdem Theod data h. a. tit 6.

(*uu*) *Nullum* legit V. Cl. ex Codice ſuo in notis Haec *ad ullum militiae* antelata ab Aniano, cum prius Theodoſius loquatur de adminiſtrationis honore.

defenſoris officium ulla ratione ſuſcipere, neque (*xx*) carceris eſſe cuſtodem: ne forſitan ſub ſpecie cujuslibet officii, Chriſtianos vel etiam Sacerdotes ſub quacumque occaſione injuriis audeant fatigare, ne (*yy*) ſupraſcripti, qui inimici legis noſtrae ſunt legibus noſtris aliquos aut condemnare, aut adjudicare praeſumant. Nullam denuo (*zz*) audeant conſtruere Synagogam. Nam ſi fecerint, noverint hanc fabricam Eccleſiae Catholicae profuturam, & quinquaginta pondo auri auctores fabricae eſſe multandos. Sed hoc ſibi ſciant eſſe conceſſum ut ruinas Synagogarum ſuarum debeant (*aaa*) reparare. Hoc etiam ſpecialiter in hac lege comprehenſum eſt, ut nullus Judaeus ſervum, aut ingenuum Chri-

[*xx*] Omiſſis Curialium, & Cohortalinorum onerosis militiae officiis, quibus voluit Theodoſius Judaeos inhaerere.

(*yy*) Haec poſita ſunt ab Interprete loco non ſuo, nam debent ſubſequi poſt defenſoris officium. Etiam in canon. 73. Concil. Meldenſis variata ſunt.

[*zz*] *De novo* Ms. Wrceburc. quod magis inhaeres novellae verbis *ne qua Synagoga in novam fabricam ſurgat*.

[*aaa*] Non impoſuit neceſſitate Theodoſius, ſed *fulciendi veteres permiſſa licentia*.

Chriſtianum audeat quacumque perſuaſione in ſuam legem transferre. Quod ſi fecerit amiſſis facultatibus capite puniatur. De reliquo *(bbb)* vero damnat ſectas, quae nominatim hac lege continentur inſertae.

DIS-

(bbb) Omiſſa paganorum mencione, quaeque deillis ſtatuit Theodoſius.

DISSERTATIONIS NOMICAE

CAPUT I.

Florentii dignitates ſub Theodoſio juniore. Emendantur quaedam legum ſubſcriptiones. Lex. v. C. Juſt. de Apoſtatis deſumpta ex hac novella. Inquiritar cauſa hujus novellae condendae.

HAc inſigni novella Theodoſius junior lata adverſum Judaeos, paganos, & haereticos illuſtris exemplum dedit pietatis & religionis ſuae; ex qua tres leges Tribonianus deſumpſit, hoc eſt l. 19. de Judaeis, l. 5. de Apoſtatis, & l. 7. de haereticis, inſcripta Florentio, qui fuit Praef. Praet. Orientis ex inſcriptione plurium novellarum, quem in novel. tit 1. de Theod. Cod. auctar. his laudibus proſequitur, *cui amicum, cui familiare eſt placere principibus*, itemque prope finem hujus novellae, *cui cordi eſt tum divinis tum principalibus adhibere juſſionibus famulatum*: illis enim verbis *tum divinis* indicat catholicum fuiſſe; ejuſdemque magnum encomium celebrat novella tit. 18. de lenonibus, quod dum Praefectura Praetoriana fungeretur, ut Conſtantinopoli deſtruerentur lupanaria, *propriam poſſeſſionem* obtulerit pro vectigali lenonum ſeu luſtrali collatione, quae pro lupanariis praeſtabatur. In iiſdem nonnullis dicitur ejus illuſtris & magnifica auctoritas, excellentia, quibus titulis honorabatur dignitas Praef. Praet. Inter Anecdota Graeca V. Cl. Muratorii legitur epiſt. 29. firmi Caeſarienſis inſcripta Florentio, quem eumdem eſſe non dubito, eumdemque ſummo honore proſequitur, ejuſque μεγαλοπρεπείαν laudat. Interfuit Concilio Chalcedonenſi habito A. C. 451. cujus dignitates recenſentur parte tertia Tom. 4. Concil. edition. Venet. pag. 1786. quas geſſit ſub Theodoſio juniore, dicitur enim ibi *ex Praef. Urb.* quam dignitatem gerebat A. C.

422.

422. ex l. unica utriuſque Cod. Theod. & Juſtin. *de Praepoſitis Sacri cubic.* de quo J. Gothofredus in ſua proſopographia: *item ex Praef. Praet. ſexius*, notante Baluzio, cum tamen leges certis conſulibus extent ſolummodo annor. 428. 429. 438. & 439. inſcriptio enim l. 2. C. Juſtin. *de petitionibus* A. c. 444. mihi ſuſpecta eſt. Praeterea dicitur *ex Conſul, Senator & Patricius*. Conſul fuit cum Dionyſio A. C. 429. ex Faſtis, ex Conſul dicitur novella Theod. tit. 8. exconſularis novella 32. Patricius a Theodoreto epiſt. 89. meminitque ejuſdem Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 3. 4. & 6. deque eodem agit Baronius hoc anno n. 37. Tillemontius art. XXIII. Theod. junior. ait Florentium fuiſſe Praef. Praet. uſque ad diem XIX. Octobr. ex novellis Theodoſ. A. C. 434. ſed ex l. 6. C. Juſtin. *ad l. Jul. repetund.* data VI. Cal. Decemb. dicto anno liquet die XXVI. Novemb. adhuc eam dignitatem adminiſtraſſe. Inſuper novella Theod. tit. 29. A. C. 441. inſcribitur Florentio Magiſtro Officiorum in editione V. Cl. Joan. Daniel. Ritter, ex qua deſumpta eſt l. 3. C. Juſt. *de Officio Magiſtri Officiorum*, ſed cum varia ſit in eodem Codice hujus nominis lectio, incertum eſt num ad hunc noſtrum referenda ſit.

Subſcriptio novellae eſt *Dat. prid. cal. Febr. Conpli Theod. A. XVII. Conſ. & qui fuerit nunciatus*. Ex qua formula liquet Feſtum Occidentis conſulem nondum in Oriente innotuiſſe: quare l. 14. C. de Judaeis hinc deſumptae delendum *& Feſto* addedumque *& qui fuerit nunciatus*. Emendanda quoque eſt ſubſcriptio l. 7. C. de haeret. hinc pariter deſumptae, ut jam antea notavit Charondas, quae habet *Theod. A. XVI.*, quam propterea male refert P. Relandus ad A. C. 438. Candidus Adiniva Grananeſius in ſuo libello *Inſcriptiones & ſubſcriptiones Juſtinian. Codicis* ad lib. 1. tit. 5. l. 7. haec habet *l. Curiales 7. ſubſcriptio. Dat. prid. cal. Febr. Theod. A. XVI. & Fauſto Coſſ.* 439. *ita in Pitheanis. Corrige. Theodoſio A. XVII. Hunc conſulatum geſſit cum Fauſto collega* A. C. 439. Ipſe tamen corrigendus venit, quia *Feſtus* fuit conſul hujus anni. Pariter cum l. 5. C. de Apoſtatis ſubſcribatur *Theod. XV. & Valentiniano IV.*

relatus

relatus Relandus eam ponit A. C. 435. ſed cum ſit pars hujus novellae ſubſcribendum A. C. 439. Gothofredus in prolegom. Cod. Theod. cap. 1. num. 111. emendans ſubſcriptionem novellae de Theod. Cod. auctor. ait. *in ea novella pro Theod. A. XV. reponendum clare XVI. idemque error tollendus eſt in ſubſcriptione l. 5. Cod. Theod.* (eſt Juſtinian.) *de Apoſtatis*, ſed ſubſcribendum XVII. Vir Cl. in notis ad hanc novellam optime obſervat l. 19. ſeu ultimam de Judaeis, & l. 7. de haeret. hinc eſſe deſumptas, ſed etiam l. 5. de Apoſtatis eſt ejuſdem pars: nam omnes deſumptae ſunt ex prima parte novellae, ubi agitur de Judaeis & Samaritanis, cujus ſententia relata eſt etiam in Canon. 73. Concil. Meldenſis. Titulus eſt *de Judaeis, Samaritanis, haereticis, & paganis*, qui tamen rectius inſcribendus fuiſſet *de Judaeis, Samaritanis, paganis, & haereticis*, cum de paganis agatur ante haereticos: de quibus omnibus diſtincte agitur lib. 1. Cod. Juſtin. hoc tamen ordine ut tit. 5. ſit de haereticis, Manichaeis, & Samaritanis; tit. 9. de Judaeis & Coelicolis; tit. 11. de paganis, qui ordo deſumptus eſt ex Cod. Theod. libro enim XVI. t. V. agitur de haereticis, tit. VIII. de Judaeis, Coelicolis, & Samaritanis, tit. X. de paganis. Niſi quod rectius Tribonianus tranſtulit in librum primum hos titulos, quos Codex Theodoſianus habet in fine. Porro hic annus Chriſti 439. erat trigeſimus octavus imperii Theodoſii vivente patre initi IV. Id. Januar. A. C. 402. ex Chronico Paſchali: propterea Marcellinus in Chronico ſub ejus conſulatu XVII. haec habet *Theodoſius Imperator octava quinquennalia dedit*, quae de ejus imperio intelligenda eſſe docuit Pagius hoc anno num. 1. Haec autem celebriora reddidit hac illuſtri novella *inſatiabili catholicae religionis honore*, ut ipſe ait in fine, data die ultima Januarii ſeu prid. cal. Febr. hunc enim diem ſervant relatae tres leges Cod. Juſtinian. & hujus novellae editiones.

Meminit ejuſdem novellae Baronius A. C. 439. num. IX. referens ejus partem, quae circa medium novellae eſt, cui cauſa ejus condendae viſa fuit, quod pluribus annis laboratum eſſet inopia frugum, idque non aliter viſum Theodoſio fuiſſe, quam

obvio-

ob violatam veram religionem; propterea perperam ait Tillemonſius art. XXIII. Theod. Baronium legem referre, abſque quod peculiarem ejus condendae cauſam alleget. Quam tamen Baronii cauſam non admittit celebris Auctor in nota ppp. hujus novellae putans hanc potius tribuendam eſſe Theodoſii pietati & reverentiae erga catholicam religionem. Verum nota eſt magna hujus temporis ſectarum turbulentia, quarum temeritatem jam antea foverat Juliani Apoſtatae liber adverſum Chriſtianos, in quo refellendo S. Cyrillus libris adverſum Julianum ſcriptis, in quorum praefatione hanc novellam innuere videtur, & Theodoretus libris duodecim *de curandis Graecorum affectionibus* inſudarunt, de quorum operibus legendi ſunt praeclariſſimi viri Baronius hoc anno num. XI. & XII. Pagius num. III. & IV. & Garnerius in Auctario operum Theodoreti diſſert. 2. c. 4. Illud quoque liquet hac tempeſtate Judaeos & Samaritanos honores dignitates, & officia exercuiſſe; propterea dum haec gererent audacius Chriſtianos inſultabant, & adminiſtrationis cauſa inſolenter elati eos vexabant. Cui malo ut Imperator occurreret vetuit *neminem Judaeum, neminem Samaritam neutra lege conſtantem ad honores & dignitates accedere, nullis adminiſtrationem patere civilis obſequii, nec defenſoris fungi ſaltim officio*.

Denique cum Cohortalinae militiae cauſa carcerum cuſtodiae praeeſſent, eaque occaſione Chriſtianos odiis contumeliiſque male agerent, vetuit eis carceris cuſtodiam. Haec itaque ratio haec cauſa eſt condendae legis, qua occaſione contra paganos juſtitiae tela convertit, qui ſpretis legibus ſacrificia occulte peragebant, pertinacius in ſuperſtionis errore verſantes, quos proſcriptione bonorum & morte mulctavit. Siquidem horum inultae pertinaciae cauſa putabat temporum vices mutatas, neque alia ratione *niſi quod ad impietatis vindictam tranſit lege ſua naturae decretum,* hoc eſt quod ipſemet ſtatutus naturae ordo vindicet horum impietatem. Licet quippe varient Codices, quibus uſus eſt V. Cl. Joan. Daniel Ritter, relataque verba ſollicitet celebris Auctor miſcellan. obſervat. Britannic. non

opus vulgatam lectionem emendare, quae abſque ulla obſcuritate ſuſtinetur. Contra denique caeteros haereticos, quorum ſectas enumerat, conſtitutiones antea latas confirmat.

CAPUT II.

Lectio novellae variis locis defenditur. Interpretum quaeſtio, & Gloſſae explicatio in l. 19. C. Juſt. de Judaeis. Explicatur §. ultimus l. 3. ff. de Decurion. Judaei privantur a Theodoſio juniore bonorum adminiſtratione olim eis ab Imp. Severo permiſſa. Judaeorum circumciſio etiam gentilibus Romanis inviſa.

STudens igitur Theodoſius hos omnes poenarum terrore revocare *ad ſanitatem mentis egregiae lege medica*, ita enim legendum eſſe, ſuadent praecedentia *ad ſanitatem mentis*, allegorice dicta, cujus locutionis venuſtatem non adverterat Sichardus edens pro *lege medica*, *legum edicta*, *hac valitura*, (ita etiam novella tit. 47. idem Theodoſius *hac perpetuo lege valitura*, & ita l. 19. C. de Judaeis, quamquam *victura* habeat Canon 73. Concil. Meldenſis, in quo haec referuntur), *in omne aevum lege* primum agit de Judaeis & Samaritis, qui ideo inter ſe conjunguntur, quod Samaritae eſſent veluti Judaeorum Schiſmatici, ut obſervat Gothofredus ad l. 16. C. Theod. de Judaeis, certantes cum Judaeis de loco & templo ubi ſecundum legem Moyſis Deus eſſet adorandus ex Joſepho lib. 13. c. 6. Immo ex D. Auguſtino contra Creſconium lib. 1. c. 31. Judaeorum haeretici fuere, quod ſolum Pentatheucum e tribus ſacri voluminis libris ſuſciperent, & Prophetas reſpuerent, negantes reſurectionem poſtquam Idolatrae eſſe deſierunt, quos notari cupio praeteriri in l. 19. C. de Judaeis hinc deſumpta, quae ad placitum Triboniani interpolata eſt. Sancit itaque neminem Judaeum, neminem Samaritanum *neutra lege conſtantem*, ita enim cum editis lego, ad honores & dignitates accedere. Neque enim placet explicatio viri doctiſſimi in Obſervat. miſcellan. Britannic. referens ea verba ad legem Judaicam, vel Samarita-

nam,

nam, quae uſu amplius non obtinuerit, perieritque cum interitu eorum Reipublicae, quam interpretationem recte refellit vir inſignis in notis ad hanc novellam, qui tamen ut lectionem ſuorum Codicum ſervet habentium *neutra lege conſtante* id refert ad leges in Oriente vel Occidente latas, quibus Judaei honores appetere poterant. Non enim id vult Imperator, ſed eſt exprobrationis nota, quam objicit Judaeis & Samaritanis, tamquam hominibus, qui neutra lege permanerent, lege in quam pro religione accepta, quod eſſent inſtabiles animi neutra lege mentis inconſtantia permanentes, qui uno verbo neque Judaei neque Samaritani eſſent. Igitur horum neminem vult *ad honores & dignitates accedere, nulli adminiſtrationem patere civilis obſequii*, ſeu civilis officii ut l. 37. C. Theod. de Decurion. obſequium enim hic pro officio eſt, de cujus ſignificatu vide Gloſſarium Nomicum Cod. Theodoſ. J. Gothofredi verbo *obſequium*, quae Anianus interpretatur *ad ullum militiae aut adminiſtrationis honorem*, hoc eſt militia inermis, militia officialis; nam ab armata jam antea erant excluſi, quod indicavit etiam D. Auguſtinus illis verbis *ad militiam non admitteris* initio dialog. *de altercatione Eccleſiae & Synagogae* in Append. Oper. Tom. VIII. Edit. Benedict. quaeque Theodoſii verba Tribonianus in ſequentia immutavit, *quibus omnes adminiſtrationes & dignitates interdictae ſunt* dicta l. 19., unde factum quod inter doctores quaeſtio habeatur an Judaeis praeter publicam etiam privata adminiſtratio interdicta fuerit, quod tamen prorſus alienum a Theodoſii mente; quae enim omnia hic recenſet, ſunt publica officia, & dignitates, vide Jaſonem ad rubr. ff. de juſtitia & jure col. 2. Afflictum ſuper conſtit. reg. princip. oper. Felinum, & alios c. fin. extr. de Judaeis, Jaſonem ad rubr. de novi operis nuntiatione col. 2 Cravetam Conſ. 73. num 26. Sane vel ſub ethnicis Imperatoribus fuere qui contenderent num Judaei honores poſſent adipiſci, quod tamen eis Severus & Antoninus permiſerunt l. 3. §. ult. ff. de Decurion. ubi male Alciatus diſpunct. lib. 3. c. 8. Judaicam ſuperſtitionem intelligit Chriſtianam religionem; uti quoque perperam legit Verus & Antoni-

 nus,

nus, quod recte refellit Ant. Auguſtinus libro ſingul. ad modeſtinum. Quare ſupervacaneum quoque eſt in Gloſſa dictae l. 19. quaerere de intellectu illius paragrafi, qui contrarius eſt huic legi, cum haec novella, ſeu l. 19. eum corrigat. quodque illis antea permiſſum fuerat, a Theodoſio prohibetur; quos nec *defenſoris* vult *ſaltim*, i pro e, eos *officio* fungi, hoc eſt *defenſoris civitatis* ut Juſtinianus habet, qui & ipſe adverbium *ſaltem* retinuit, quod *nec ſaltem* Italico noſtro reſpondet *ne meno*, ut ſignificaret neque hoc licet inter minora officia, eos velle exercere; de quibus defenſoribus uberime Gothofredus in parat. C. Theod. *de defenſoribus civitatum*, quos vocat Syndicos Hermogenianus l. 1. §. 2. & Chariſius l. 18. §. 13. ff. de muneribus: eleganti ratione a Theodoſio reddita *nefas quippe credimus -- acquiſitae dignitatis auctoritate muniti adverſus Chriſtianos, & ipſos plerumque ſacrae religionis Antiſtites veluti inſultantes fidei noſtrae judicandi vel pronuntiandi quod velint habeant poteſtatem*, hoc eſt quia legis Chriſtianae inimicos nefas eſt judicare Chriſtianos, ſeu contra fas ut l. 5. ff. de quaeſtion. vel contra legem divinam; fas enim de rebus divinis accipitur, Salluſtius Catilinae cap. XV. *nefanda ſtupra fecerat contra jus faſque*, hoc eſt contra legem humanam & divinam, vide exempla apud Savaronem ad Sidonium lib. II. epiſt. XIII. qua omiſſa rationis elegantia Interpres Anianus vertit *ne inimici legis noſtrae, legibus noſtris aliquos aut condemnare aut judicare praeſumant*. Quam legis partem retulit Imp. Juſtinus in graeca ſua conſtitutione, quae eſt l. 12. C. de haeret. ab Antonio Contio latine verſa, & laudata a Ducangio in notis ad Chronicon Paſchale A. C. 484. ubi tamen Juſtinus poſt defenſores civitatis addit ἢ πατέρες πόλεων *aut patres civitatum*, quod Juſtinianus quoque addidit dictae l. 19. quo loco male legi *nec patriae honorem* pro *patris honorem* obſervavit Cujacius lib. 12. Obſervat. c. 30. quos explicat Curatores civitatis. Addit inſuper Imperator ne novas Synagogas extruant, ſed tantum permittit ruinam minantes fulcire, quod ampliat Cujacius Obſerv. lib. 16. c. 3. ut penitus ruina collapſae in eadem ſpecie & qualitate reponi & reſtaurari poſſint.

Poenam

Poenam quoque capitis indixit proſcriptis bonis quicumque Chriſtianum ſervum vel ingenuum *invitum*, quae tamen vox neque voluntarium admittit, *vel ſuaſione plectenda*, in nefandam ſectam, ritumve traduxerit, ex qua ſententia Tribonianus formavit l. 5. C. de Apoſtatis, quod neque adverterunt viri docti neque interpretes, alia tamen a Theodoſii mente; nam is de Judaeis & Samaritanis loquitur, quod ille generaliter in Apoſtatas convertit. Neque id tantum Imperatorem Chriſtianum decuit, ſed gentilibus quoque Imperatoribus inviſum fuit: olim enim Imp. Severus vetuerat *ſub gravi poena* quemquam Judaeum fieri ex Spartiano, quod circumcidi interpretor. Etſi enim circumciſio ne dum Judaeis uſu eſſet, ſed & aliis gentibus Ægyptiis, Æthiopis, & Syris ex D. Ambroſio lib. 2. de Abrahamo cap. 11. a Judaeis mutuata ex Herodoto lib. 2. & ne dum Judaei ſe circumciderent, qua de cauſa eos *curtos* appellat Horatius Sermon. lib. 1. Satyr. 9. prope finem, & *circumſectum* pro circumciſo dixit Svetonius in Domitiano cap. 12. ſed etiam alios circumciderent, tamen Romanis id inviſum, eiſque ſolum filios ſuos circumcidere permiſit Imp. Pius l. 11. ff. ad l. Corn. de Sicariis, quod *mutilare genitalia* vocat Spartianus in Hadriano, cui ex eodem bellum moverant quod vetarentur; & ſi alienae nationis comparatos ſervos circumcidiſſent, deportatione aut capite puniebantur ex Paulo Sentent. lib. 5. tit. 22. §. 4. quod Theodoſius ad proſcriptionem bonorum & capitis poenam porrexit deportatione omiſſa; & ipſi cives Romani, qui ſe vel ſervos ſuos Judaico ritu circumcidi paſſi eſſent, relegabantur ademptis bonis ex eodem §. 3. Interim ex hac novellae parte notandum eſt. I. Judaeum & Samaritanum, qui dignitates acceperit, iiſdem fungi non poſſe, & qui ad honores acceſſerit, etiamſi honorariam promeruiſſet dignitatem, hoc eſt non legitimam ſed titulo tenus, de qua re legendus parat. Cod. Theod. de honorariis Codicillis, haberi conditionis extremae ſeu infimae, privatum hominem. II. Qui Synagogam extruxerit, eam Eccleſiae catholicae deſtinari, quique fabricam coeperit non ſtudio reparandi quinquaginta librarum auri puniri. III. Denique proſcriptis

bonis

bonis & morte mulctari, *qui fidem alterius expugnavit perverſa doctrina*, hoc eſt qui ſuaſione plectenda Chriſtianum in nefandam ſectam traduxerit. Quae omnia non pura putaque Tribonianus tranſtulit in l. 19. C. de Judaeis §. quiſquis, ſed additis vel immutatis quibuſdam.

CAPUT III.

Municipalium munerum & Cohortalium officiorum continuatio Judaeis impoſita a Theodoſio. Cohortales alii a Curialibus.

NE tamen hujus ſectae homines a caeteris oneroſis officiis ſe crederent immunes, quamdoquidem ad eos reprimendos hanc legem evulgaverat, eos nihilominus Curiae muneribus & Cohortalinae militiae obſtrictos voluit, jubens ut *Curiales civitatum omnium, necnon Cohortalini cujuſcumque ſectae* ſint ſuis ordinibus inhaereant. Quoniam dum eos deprimit, non debet poena in beneficium converti, eleganti ratione *ne videamur hominibus execrandis contumelioſo ambitu immunitatis beneficium praeſtitiſſe, quos volumus hujus conſtitutionis auctoritate damnare*. De quo contumelioſo ambitu ſuavia ſunt, quae habet Gloſſa l. 7. C. de haeret. verbo *contumelioſo*, ſenſus enim eſt, ne ambiant beneficium ſibi praeſtari, dum immunes redduntur, cum per contumeliam immunes fiant. Deque eo Curiae nexu, deque Cohortalinis officiis nihil habet interpres Anianus, a Triboniano quoque Cohortalinorum mentione omiſſa, qui tamen alii ſunt a Curialibus. Igitur his hominibus honores interdixit Theodoſius, ſed munera eos ſuſtinere voluit; quia honor eſt adminiſtratio cum dignitatis gradu l. 14. ff. de munerib. quapropter eos indignos cenſuit; munus autem adminiſtratio cum ſumptu ſine titulo dignitatis ex eadem lege, & hoc propter diſpendium eos ſuſtinere in poenam voluit. Muneraque alia ſunt perſonalia, patrimonii alia, mixtaque alia l. 18. ff. eodem, eaque diverſa quae dicta lege, & l. 1. deſcribuntur, quibus ſuſtinendis cum rebus & perſonis Curiales tenerentur,

tur,

tur, quod idem Theodoſius ſignificat illis verbis *diverſis officiis facultatum & perſonarum munerum obligatos*, ea de cauſa haec munera neceſſitates vocat Ulpianus l. 3. §. 3. ff. de Decurion. diſtinguens honores a neceſſitatibus ſive muneribus, dum ait *eis qui Judaicam ſuperſtitionem ſequuntur Divi Severus & Antoninus honores adipiſci permiſerunt, ſed & eis neceſſitates impoſuerunt, quae ſuperſtitionem eorum non laederent*: pari ſignificatione Capitolinus in Gordianis ait *familiae Gordiani hoc Senatus decrevit, ut a tutelis atque legationibus, & a publicis etiam neceſſitatibus, niſi vellent poſteri ejus ſemper vacarent*. Eaque puto eſſe privilegia a Severo Judaeis conceſſa, quae eis poſtea Imp. Alexander confirmavit ex Lampridio in eodem c. 22. quae tamen minuſve alia, quae inde eis ſuper re hac conceſſa fuiſſent Theodoſius non attendit, ſed omnes honoribus privavit, & neceſſitates eos ſuſtinere voluit: quod idem ſenſit Juſtinianus novella 45. Cohortalini autem ſeu Cohortales, quos perperam ait Gloſſa ad tit. Cod. Juſtin. de Cohortae eos eſſe, *qui officio Curiae erant coartati*, cum alii ſint a Curialibus, a Curia dictis, qui erant patriae ſuae ordines ſeu ſenatores, de quibus vide latius J. Gothofredum in parat. Cod. Theodoſ. de Decurionibus, Cohortales inquam ſunt officiales Praeſidum, qui praeſto erant eorum juſſis, officio Magiſtratus obſtricti, unde *cohortale officium*, *cohortalium corpus* l. 2. C. de defenſ. civit. l. 33. C. de appellat. propterea ſi quis eorum inteſtatus decederet nullo haerede relicto caeteri cohortales ſuccedunt l. 3. C. de haeredit. Decur. qui fuere perpetui in provincia l. 34. ff. de rebus, credit. dicti a cohorte ut Budaeus obſervat in poſterior. ad Pandectas, Graecis ταξεῶται, gregarii ſeu viliores milites ut explicat Cujacius Comment. ad tit. Cod. Juſtin. de haeredit. Decur. unde cohortales ſeu cohortalina militia, militia officialis, de quibus legendus parat. J. Gothofredi ad tit. Cod. Theod. de Cohortal. dicti etiam beneficiarii, quod promoverentur beneficio Praeſidis ex Cujacio dicto loco, militia inermis, quod militarent in officio Magiſtratus, juſſis Praeſidum praeſto eſſent, eorum mandata exequerentur. Inter hos erant Principes, cornicularii, & primipilarii, unde titulus

tulus eſt in utroque Codice de *cohortalibus*, *principibus*, *&* *cornicalariis*, ubi male in Cod. Juſtin. olim legebat Cujacius *principum*, ideo legitur *Princeps cohortalis officii* l. 13. ibidem. Verum illud quaeri poſſet, dum Theodoſius vult Curiales & Cohortales ſuis ordinibus inhaerere *cujuſcumque ſectae* ſint, an de omnibus haereticis loquatur, an tantum de Judaeis vel Samaritis. Sane Tribonianus hoc ad omnes ſectas ampliavit, quamdoquidem hanc novellae partem dicta l. Curiales poſuit ſub tit. de haeret. idque etiam Accurſius explicavit, quae verba in eamdem ſignificationem accepit vir doctus in nota rr. ejuſdem novellae: verum cum paulo inferius addat *apparitores memoratarum ſectarum*, anteaque de ſolis Judaeis & Samaritis loqutus fuerit τὸ *cujuſcumque ſectae* videtur ſignificare vel fuerint Judaei vel Samaritae. Dum tamen eos obſtringit Imperator Cohortalium officiis addit *Hac exceptione ſervata, ut apparitores memoratarum ſectarum, in privatis dumtaxat negotiis, nullius judicis ſententias exequantur*.

CAPUT IV.

Apparitores Praeſidum. Judaeis Theodoſius vetat apparitionem in privatis negotiis, & carcerali praeeſſe cuſtodiae. Optio carceris. Commentarienſes.

APparitores ſunt ex Cohortalibus, ideo dicitur *cohortalis apparitor* l. 12. C. Juſt. de Cohortal. iique ſunt qui Magiſtratibus apparent, apud Fabrettum c. 3. Inſcript. n. 276. inter caetera legitur - - - LICTOR

EX. III. DECURIA. QUI
MAGISTRATIBUS. APPARENT

qui etiam Magiſtratibus municipalibus apparebant, ut ex alia inſcriptione apud Reineſium Claſſe 6. n. 44. explicata a V. Cl. Noodt de *Juriſdictione* lib. 1. c. 3. Judices quoque ſuos apparitores habebant; per quos exequebantur ab his latae ſententiae,

tentiae, ut ex relatis novellae verbis, quare titulus eſt 60. lib. 12. Cod. Juſtin. *de diverſis officiis & apparitoribus* Judicum, & *probatoriis eorum*. Praeſides quoque ſuos apparitores habebant, ideo *apparitio* Praeſidis legitur apud Ulpianum l. 23. §. finali ff. *quod metus cauſa*: deque apparitoribus aliarum dignitatum ſunt alii tituli in eodem libro ſcilicet 53. 54. 55. 56. 57. 59. cum quibus conferenda eſt notitia dignitatum Romani imperii a Pancirollo illuſtrata. Papianus, quem Burgundionem putat J. Gothofredus Manual. Jur. in Biblioth. jur. civil. Rom. c. 2. §. 11. habet rubricam tit. 29. Reſponſ. *de Apparitoribus*, ubi legitur *ne quis omnino exequi praeceptionem praeſumat, niſi principis officii apparitorum probatoria ordinatus*, deinde *Ipſi etiam apparitores cognoſcant, quod eis a ſuſcepto officio diſcedere non licebit, niſi vacationis beneficium a principe officii conſequatur*, ubi *probatorias* explicat Cl. Schultingius *atteſtationes*, quas eis faciebat *princeps* ſeu *principalis* officii. Propterea Theodoſius apparitores harum ſectarum vetat exequi Judicum ſententias in privatis *dumtaxat* negotiis, ideſt vult eos exequi Judicum mandata in publicis ſolummodo negotiis, praeſto eſſe eorum juſſis, quae publica tantum negotia reſpiciant. Addit *nec carcerali praeeſſe cuſtodiae*, quos Clariſſimus Auctor in nota zz. explicat *Stratores*; inquirendum tamen quos hic Imperator intelligat. Sane qui carceri praeeſt dicitur *praepoſitus carceris* in Actis SS. Perpetuae & Felicitatis §. 9. ſeu *carceri praepoſitus* l. 8. ff. de cuſtod. reor. quem Graeci vertunt κλαυϊκαριον clavicarium lib. 60. Baſilic. tit. 35. δεσμοφύλαξ dicitur Actor. c. 16. n. 27. qui explicatur *Optio carceris* a D. Ambroſio in epiſt. ad Epheſios c. 4. *Optio carceris* etiam in Actis praedictis S. Perpetuae §. 16. ita etiam in lapidibus *Optio karceris*. Optio enim nomen generale eſt, ideo dum dicitur in Actis praedictis §. 9. *miles Optio* additur *praepoſitus carceris* non explicandi gratia Optionis miniſterium, ut videtur exiſtimaſſe vir gravis Holſthenius in notis ad illum §. ſed ut ſignificaretur militem Optionem praepoſitum fuiſſe carceri, in quo recepta fuerat S. Perpetua. Uti enim militi quamdoque tradebantur cuſtodiae, ut obſervat Schultingius in notis ad §. 1. tit. 31. *de poenis militum*

lib. 5. Sent. Pauli, ita etiam aliquamdo milites Optiones praepoſiti fuere carceribus, ut ex hoc loco S. Perpetuae. Caeterum in re militari Optio eſt annonae diviſio apud Procopium belli Vandal. lib. 1. c. 17. propterea annonae diviſionem apud Hermogenianum l. 5. ff. de munerib. Graeci lib. 54. Baſilic. interpretantur *Optionem militum*, quique annonam militibus erogant *Optiones* dicuntur Juſtin. Novel. 130. c. 1. qui flagitabant a Curialibus annonam militarem Novel. 2. Martiani de *indulgentiis reliquorum*: Optio autem in re militari eſt militiae gradus beneficiario major, ut ex inſcript. Fabretti c. 3. n. 114.

PRINCIPALIS
BENEFICIARIUS. TRIBUNI
DEINDE. OPTIO. IN. CENTURIA

Neque abs re eſt Juſti Lipſii conjectura in notis ad lib. 1. Hiſtor. Taciti Optiones in quaque centuria fuiſſe, quos ſibi optabat decurio, aut Centurio rerum miniſtros ex Feſto, ſeu adjutores antecedentium militum ex Vegetio, de quibus Cujacius agit lib. 6. Obſervat. c. 33. & ad l. 7. C. Juſtin. de exactor. tribut. deque his intelligendi ſunt antiqui lapides, in quibus nominatur *miles Optio*, neque alio ſenſu intelligendi ſunt in l. 6. ff. de jure immunit. dum abſolute nominatur *Optio* illis verbis *Menſores, Optio, & Valetudinarii*, quam Chariſio Haloander tribuit, quae tamen Tarunteno Paterno a Labitto in Indice adſcribitur deſumpta ex ejus lib. 1. Militarium; quaeque miniſteria ibidem ſcripta comparari poſſunt cum Vegetio lib. 2. de re militari c. 11. eaque lex explicatur a Budaeo in annotat. poſterioribus ad Pandectas; cui Optioni in ea lege male aptat Accurſius l. ult. C. de locato loquentem de foederatis, qui in Optionibus militabant; alii enim ſunt, de quibus dicta l. 6. non loquitur. Qui tamen Budaeus a pari Optiones carcerum facit adjutores Commentarienſium, quos ſibi adjutores Commentarienſis legiſſet ad cuſtodias: verum non ita eſſe arbitror. Nam Commentarienſes, ſi nominis rationem habere velimus a Commentariis dicuntur, qui reorum nomina & acta in Commentarios referebant, quorum munus affabre deſcripſit Aſterius in graeca oratione

tione

tione inſerta Actis Concil. Oecum. VII. Act. 4. quam retulit Ruinartius in Actis Martyrum ubi de martyrio S. Euphemiae ex Tomo primo auctarii Combefiſii: Beatus enim Aſterius deſcribit tabulam pictam, quae martyrium Euphemiae repreſentabat, ubi τῶν υπομνηµάτων ὑπογραφεῖς recte vertuntur *Commentarienſes, qui libros ſeu tabulas ferunt ac ſtylos: quorum alter manum e cera educens, intenſe adſpicit in adſtantem judicio Virginem, totam deflectens faciem, tanquam jubeat loqui clarius, ut ne difficile audiens mendoſa ſcribat*. Dicitur Commentarienſe officium in Actis S. Criſpinae apud Ruinartium, ubi completis Actis Judex jubet ut *acta ex Codice quae dicta ſunt relegantur*. Hi denique receptarum perſonarum cuſtodiam habebant, adjutoreſque ſuos, pro quibus reſpondere tenebantur l. 4. C. Juſtin. de cuſtod. reor. quae eſt l. 5. C. Theod. ejuſdem tit. ubi legendus Gothofredi Commentarius; iidemque Commentarienſes quolibet menſe referre debebant numerum carceretorum, varietatem delictorum, clauſorum ordinem, aetatemque vinctorum l. 6. C. Theod. quae eſt l. 5. C. Juſtin. dicti tit. eiſdemque victualis ſubſtantia diurna dabatur, ut pauperes carcere detentos alerent l. 7. C. Theod. quae eſt l. 9. C. Juſtin. dicti tit. Optiones autem erant qui carceribus incumbebant, qui reos in carcere cuſtodiebant; utroſque arbitror ſignificare voluiſſe Firmicum lib. 3. Matheſ. c. 6. *Erunt Cornicularii, aut Commentarienſes, quibus damnatorum cura committitur, ſeu clavicarii, vel carcerum cuſtodes, quibus publicarum catenarum cura mandatur*: utrorumque pariter meminit Ulpianus l. 6. ff. de bonis damnat. dum ait horum ſpolia *neque Speculatores*, ſic legas ex Cujacio Obſervat. lib. 6. c. 33. *ultro ſibi vindicent, neque Optiones ea deſiderent*, & paulo inferius *nec pati Praeſidem, Optiones ſive Commentarienſes ea pecunia abuti*. Speculatoris meminere Acta S. Cypriani in fine, qui carnifex dicitur a Pontio in ejus vita §. 18. Hi itaque omnes erant ad reorum curam, ad cuſtodiam carcerum, ad damnatorum ſupplicia deſtinati, unuſquiſque tamen proprio miniſterio incumbens, ferales miniſtri ad exequendas Judicum ſententias, ut ex Actis Martyrum diximus. Quare improprie Optiones Budaeus vocat

 adju-

adjutores Commentarienſium, minus autem recte ab his electos, quod nemo veterum dixit.

CAPUT V.

Stratores alii a Commentarienſibus. Cuſtodia delicata. Explicatur §. 1. l. 4. ff. de officio Proconſ.

MOdo ad Stratores devenio, prius teſtatus me verba non habere de Stratoribus, de quibus tit. 25. lib. 12. C. Juſtin. ſeu tit. 31. lib. 6. C. Theod. neque de Stratoribus viarum, de quibus Bergerus c. 3. lib. 4. *de publicis & militaribus Imp. Romani viis* & clariſſimus Henninius in notis, ſed de Stratoribus quibus reorum cura committebatur, quos J. Gothofredus in Comment. l. 1. C. Theod. de cuſt. reor. exiſtimat, qui poſtea Commentarienſes dicti ſunt. Ante omnia obſervo Ulpianum in libris de officio Proconſuli Stratores nominare l. 4. §. 1. ff. de offic. Proconſ. deſumpta ex ejus libro primo, Commentarienſes & Optiones l. 6. ff. de bonis damnat. ex ejus lib. 10. Igitur ab uſque Severo & Antonino erant Stratores, erant etiam Commentarienſes, erant Optiones. Neque aliter eſt in actis Martyr. Nam Optio nominatur in actis S. Perpetuae paſſae *Natale Getae Caeſaris* §. 7. prope finem, ubi de anno legenda notata a doctiſſimo Petro Poſſino. Stratores de quibus loquor, habentur in Actis S. Cypriani paſſi A. C. 258. ſub Valeriano & Gallieno: Commentarienſes in Actis SS. Claudii & Aſterii, qui paſſi ſunt ſub Diocletiano A. C. 285. Habemus ergo horum officialium diſtincta nomina uno tempore & ſubinde, omnes ab officio Praeſidis ex Ulpiano, omnia quidem feralia miniſteria circa reos occupata, ſed inter ſe diſtincta; Stratorumque meminit Paternus ante Ulpianum relata l. 6. in fine ff. de jure immunit. quorum miniſterium ex Actis S. Cypriani proconſularibus deducere poſſumus: habent enim §. 2. *Idibus Septembris Tuſco & Baſſo Coſſ.*, A. C. 258., *venerunt ad eum*, Cyprianum, *principes duo*, Pontius Diaconus in vita ejuſdem §. 15. *Cum militibus*

litibus ſuis princeps, ſequntur acta, *unus Strator officii Galerii Maximi Proconſulis, qui Aſpaſio Paterno ſucceſſerat, & alius equiſtrator, quibuſdam equiſtrator* legentibus, *a cuſtodiis ejuſdem officii, qui & in curriculo eum levaverunt, in medioque poſuerunt*, hoc autem modo ductus Cyprianus, quod notari cupio propter ejus dignitatem, qua etiam de cauſa l. 1. ff. de cuſtod. reor. Praeſes aeſtimare debet, utrum reus in carcere recipiendus ſit, an militi tradendus, & hoc vel propter crimen vel propter honorem, *& in Sexti perduxerunt, ubi idem Galerius Maximus Proconſul bonae valetudinis recuperandae gratia, ſeceſſerat, & ita idem Galerius Maximus Proconſul in aliam diem Cyprianum ibi reſervari praecepit. Et eo tempore beatus Cyprianus ductus ad Principem & Stratorem ejuſdem officii Galerii Maximi Proconſulis clariſſimi viri ſeceſſit, & in hoſpitio ejus cum eo in vico, qui dicitur Saturni, inter Veneream & Salutariam manſit*. Pontius §. 15. *& ibi in domo Principis conſtitutum una nocte continuit cuſtodia delicata, ita ut convivae ejus & cari in contubernio ex more fuerimus*. In Actis S. Perpetuae §. 9. *Praepoſitus carceris qui nos magni facere coepit intelligens magnam virtutem Dei eſſe in nobis, multos fratres ad nos admittebat, ut & nos & illi invicem refrigeraremus*. Haec erat cuſtodia lenis, minus aſpera, quae admittebat convenientes & viſitantes tam carcere detentos, ut in Actis S. Perpetuae, quam militi traditos ut in Actis S. Cypriani, & ob id dicitur a Pontio cuſtodia delicata, cui tamen male Cl. Holſthenius in notis ad illum §. S. Perpetuae opponit cuſtodiam diligentem, de qua Cujacius Obſerv. lib. 14. c. 34. Heraldus ad Tertullianum Apologet. pag. 97. Etenim cuſtodia diligens non impedit convenire & viſitare detentos, ſed eſt major & accuratior ſollicitudo, quae habetur circa perſonam quae cuſtoditur, quo ſenſu dicitur *diligens cuſtodia* §. 7. l. 1. ff. *de fugitivis, diligenter cuſtodire ne evadant* dicta l. §. 4. *ἀσφαλῶς tuto* in Synopſi Baſilic. lib. 60. t. 7. c. 1. eoque ſenſu dicitur diligenter cuſtodire de eo qui traditur in carcerem l. 6. §. ejus 7. ff. *de injuſto rupto teſtam.* ut tutius cuſtodiatur, de catenis autem vincto dicitur *fida cuſtodia* l. 1. C. Theod. & Juſtin. de cuſtod. reor., quod

fieri

fieri permittit etiam *diligens cuſtodia* dicto §. 7. l. 1. ff. *de fugitivis*. Rei enim vel recipiuntur in carcerem vel militi traduntur l. 1. ff. de cuſtod. reor. ad quam legendus Revardus Variar. lect. lib. 3. c. 12. Divus quoque Auguſtinus in Joannem *alii traduntur Optionibus, alii mittuntur in carcerem*, ideſt publicum, qui cuſtodia dicitur apud Ulpianum tit. 1. de libertis §. 4. ubi Cujacius, & Schultingius; nam cuſtodia dicitur de publica l. 224. ff. de verb. ſignific. Ut autem plenior Stratorum habeatur notitia conjungi poteſt actis praedictis Proconſularibus l. 1. utriuſque C. de cuſtod. reor. quae habet *Neque his qui Stratorum funguntur officio, neque miniſtris eorum liceat crudelitatem ſuam accuſatoribus vendere, & innocentes intra carcerum ſepta leto dare, aut ſubtractos audientiae longa tabe conſumere. Non enim exiſtimationis tantum, ſed etiam periculi metus Judici imminebit ſi aliquem ultra debitum tempus inedia, aut quocumque modo aliquis Stratorum exhauſerit*. Ex quibus omnibus colligitur. I. Stratores fuiſſe principes, ſeu principales a cuſtodiis officii Proconſularis habentes milites ſeu miniſtros circa reorum cuſtodiam occupatos. II. Reos vel in propria domo extra Praetorium vel in carcere cuſtodiſſe. III. Reos ab his ad libitum habitos modo ſub delicata, modo ſub crudeli cuſtodia. IV. Sibi licitum feciſſe prae rapacitate & avaritia reos ſubtrahere audientiae, ne intra *debitum tempus* de eis quaeſtio haberetur, ut ſi noxii punirentur, ſi innocentes abſolverentur. Ergo alii fuere Stratores, alii Optiones, quos diſtinguit eriam Paternus l. 6. ff. de jur. immunit., alii Commentarienſes, omnes circa reorum cuſtodiam verſantes, ſed unuſquiſque proprio miniſterio. Cum autem ſuperius obſervaverim Cohortales fuiſſe perpetuos in provincia ex l. 34. ff. de reb. cred. fuiſſeque gregarios milites, *nemo Proconſulum Stratores ſuos habere poteſt: ſed vice eorum milites miniſterio in provincia funguntur* ex Ulpiano l. 4. §. 1. ff. de offic. Proconſ. aliis *Statores* legentibus, cum tamen etiam Acta Cypriani Stratores habeant; *ſuos* inquam hoc eſt domeſticos, ut recte explicat Cujacius Obſerv. lib. XI. c. 1. ideſt nemo Proconſulum domeſticos habere poteſt

Stra-

Stratores, ſed vice eorum domeſticorum milites miniſterio Stratorum in provincia funguntur. Scio a viris doctis locum illum agitari, & praeſertim a J. Gothofredo Comment. l. 1. C. Theod. *de cuſtod. reor.* verum ſi explicatio illa probetur facilis videtur eſſe intellectui, neque enim de Stratoribus viarum accipiendum eſſe optime vidit relatus Gothofredus. Dum itaque Theodoſius junior vetat *cujuſcumque ſectae homines* carcerali praeeſſe cuſtodie, eos privat omnibus officiis, & miniſteriis, quae circa reorum cuſtodiam verſantur, quaecumque illa ſint, nedum Stratorum, ut exiſtimat Vir praeclarus in notis ad hanc novellam, quos tamen J. Gothofredus putabat fine Comment. l. 1. C. Theod. *de cuſtod. reor.* poſt Conſtantinum Magnum Commentarienſes dictos, verum Commentarienſium, qui alii ſunt a Stratoribus, ut ſuperius examinatum eſt, aliorumque, qui carcerum cuſtodiae incumberent. Addit rationem Imperator cur eos vetet carceri praeeſſe, *ne Chriſtiani ut fieri adſolet, nonumquam obſtruſi cuſtodum odiis alterum carcerem patiantur incertum an jure videantur incluſi*: quod tamen confuſe admodum retulit Interpres *ne forſitan ſub ſpecie cujuslibet officii Chriſtianos, vel etiam ſacerdotes ſub quacumque occaſione injuriis audeant fatigare*, generaliter interpretans de quocumque officio, neque novellae ordinem in interpretatione ſecutus, quaequae Aniani interpretatio neque genuina adſuta eſt ipſi conſtitutioni Theodoſii in can. 73. Concil. Meldenſ. ut obſervavit vir eximius in notis. Ex qua Theodoſii ratione docemur quibus odiis hac tempeſtate hujus ſectae homines occaſione dignitatum, munerum aliorumque miniſteriorum, quae ſuſtinebant, Chriſtianos inſequerentur. Docemur inſuper haud raro accidiſſe, ut Chriſtiani obſtruerentur in carcere *incertum an jure*, fortaſſe propter illorum malignitatem, indeque a cuſtodibus ejuſdem ſectae Chriſtianos crudeliter actos. Cuſtodes enim hic accipio pro miniſtris eorum, qui carceri praeſunt ut in l. 1. Cod. Theod. *de cuſtod. reor.* quos vocat *corruptos carcerum cuſtodes* l. 7. dicti tit. quae eſt l. 9. C. Juſtin. de Epiſcop. audient.

duri

duri carceris cuſtodes Manilius Aſtronom. lib. 5. u. 621. in paſſione S. Quirini Martyris ſub Diocletiano apud Ruinartium legitur *Marcellus cuſtos perſonarum aperuit carcerem*, infimae conditionis homines ſomno vinoque ſepultos: nam l. 12. ff. de cuſtod. reorum puniendi ſunt, ſi per vinum eorumque deſidiam cuſtodia evaſerit. Libanius Theodoſio Magno ſuppar oratione περὶ τῶν δεσμωτῶν ſeu *de cuſtodia reorum* deſcribit horum cuſtodum avaritiam, crudelitatemque eorum, qui praeerant carcere detentis, miſeram denique deplorandamque horum conditionem. Ergo Imperator carceratorum cuſtodiam adimit his hominibus, ne horum malignitate, & contumeliis Chriſtiani *alterum carcerem patiantur*, hoc eſt graviorem carceris poenam propter inſolentiam cuſtodum ut explicat Vir doctus in notis, ubi tamen non incommode *atrum carcerem* legi poteſt, quem *atrum* limen vocat Prudentius Hymno 5. u. 310. periſtephan.

CAPUT VI.

Paganorum ſuperſtitio a Theodoſio profligata. Imp. Marciani l. 7. C. de paganis illuſtrata. Inquiritur annus l. 8. dicti tit. In haereticorum ſectas invehit Theodoſius.

HActenus Imperator de Judaeis, & Samaritanis, modo ad paganos ſeu gentiles juſtitiae poenas convertit, quorum gentilem immanitatem, & naturalem vaeſaniam galeato prologo exagerat, eorumque funeſtam ſuperſtitionem phaleratis verbis execratur, qui nefarios ſacrificiorum ritus occultis ſolitudinibus exercebant, poenarum metu, utque latarum legum ultionem evitarent. Propterea *trabali juſſione*, hoc eſt firma, ſtabili, de quo verbo vide notata a Viro docto ſtatuit *ut quicumque pollutis contaminatiſque mentibus in ſacrificio quolibet in loco fuerit comprehenſus in fortunas ejus, in ſanguinem ira noſtra conſurgat*, hoc eſt bonis & vita privetur. Horum enim cauſa merito putabat mutatas tempo-

temporum vices, quorum nefandi ritus & ſacrificia uberrime explicantur a viro inſigni J. Gothofredo in parat. & comment. tit. C. Theod. *de paganis*. Meminit hac in parte hujus conſtitutionis Theodoretus lib. 5. c. 37. Hiſt. dum ait a Theodoſio adeo paganorum errores profligatos, ut ne quidem ſuperſtitionis veſtigia poſteritas poſſet intueri: quem locum perperam Gothofredus exiſtimavit pertinere ad l. 22. C. Theod. de paganis datam A. C. 423. tum quia lex illa nil aliud quam leges antea latas confirmat: tum quia illa refert Hiſtoricus poſt narratam c. 36. translationem in Urbem reliquiarum S. Joannis Chryſoſtomi, quae facta eſt A. C. 438. ex Pagio, anno ante hanc novellam: hiſtoriam autem ſuam extremis Theodoſii temporibus evulgavit ex eodem Pagio ad A. C. 427. n. XIV. Porro hic Imperator intra decennium leges diverſas ediderat contra Orientis & Illyrici Orientalis paganos ab A. C. 416. ad A. C. 426. quae noviſſimae ſunt in C. Theod. tit. de paganis, quibus A. C. 416. l. 21. militiam & Judicis honorem eis interdixerat, & A. C. 423. l. 23. latas contra eos leges confirmaverat. Si ſacrificantes reperti fuiſſent, bonorum proſcriptione & exilio multaverat l. 23. ad quam alludit §. 3. hujus novellae illis verbis *quos non legum terrores, non denuntiati exilii poena compeſcunt*. Voluit tamen a Chriſtianis quiete degentes non perturbari l. 24. quae praecedentis pars eſt. Denique A. C. 426. l. 25. contra paganos Illyrici Orientalis immolationes & ſacrificia vetuit, fanaque eorum deſtrui juſſit expiatis locis venerandae Crucis collocatione poena mortis indicta, de qua tamen poena nihil eſt in hac novella. Attamen cum nihilominus occulte in abditis locis temerario auſu nefaria ſacrificia peragerent, hanc poſtremo novellam evulgavit, ut penitus ne quidem ſuperſtitionis veſtigia ſupereſſent, ut ait Theodoretus. Ex quibus tamen legibus unam tantum ſelegit Tribonianus, quae eſt dicta l. 24. ex qua conflavit l. 6. tit. de paganis poena contra Chriſtianos perturbatores in duplum immutata pro triplo & quadruplo. Neque hac novellae parte uti Tribonianus curavit praelata Imp. Martiani l. 7. dicti tit. data Palladio Pſ. Praet. Orientis, cujus ſubſcriptio notatu digna, dicitur

citur enim data Prid. Id. Novemb. Martiano A. & Adelphio Coſſ. A. C. 451. quae eſt aera Concilii Chalcedonenſis, quod incoeptum fuerat VIII. Id. Octob. Martianus enim Auguſtus, ut inſigne pietatis & religionis exemplum ederet poſt actum Concilium eam legem evulgavit, qua paganorum ſuperſtitionem funditus evertere ſtuduit proſcriptione bonorum & ultimo ſupplicio indicto, tam contra ſacrificantes quam contra eorum participes, & in Praeſides ſcelus vindicare ſimulantes quinquaginta librarum auri multa indicta totidemque in eorum officium. Ejus autem legis initium obſervari meretur, quod eſt *nemo venerandi, adorandique animo delubra quae olim jam clauſa ſunt*, (juſſu Conſtantini Magni, ejuſque filiorum ex Theodoreto lib. 5. c. 21. & Sozomeno lib. 3. c. 16.) *reſeret. Abſit a ſaeculo noſtro infandis exſecrandiſque ſimulacris honorem priſtinum reddi, redimiri ſertis templorum impios poſtes, profanos aris accendi ignes, adoleri in iiſdem thura, victimas coedi, pateris vina libari*: quibus verbis nefarios paganorum ritus deſcribit, quae non abſimilia ſunt l. 12. Theodoſii Magni C. Theod. ad quam legenda ſunt, quae a doctiſſimis viris J. Gothofredo in Comment. & Fabroto in notis obſervata ſunt. Quamvis tamen Chriſtiani Principes tot repetitis legibus paganam ſuperſtitionem deſtruere ſtuduerint, radices penitus evellere haud facile fuit, ita ut Imp. Leo, qui A. C. 457. VII. Id. Febr. aelamatus fuerat ex Ducangio in Chron. Paſchali, hoc crimen publicum fecerit l. 8. C. Juſt. de paganis data Dioſcoro Praef. Praet. Orientis ſine die, quam tamen arbitror latam noviſſimis Anthemii temporibus, qui in inſcriptione conjungitur, quique dictus fuerat Imperator A. C. 467. periitque A. C. 472. puto enim Dioſcorum ſucceſſiſſe Conſtantino ex l. 13. C. de Offit. Rect. Provinc. & l. 15. de Advoc. diverſ. judicior. hoc eſt vel exeunte A. C. 471. vel ſequentis initio, ſuſpicor enim mendum eſſe in conſulatu l. 35. C. de Epiſcop. Nec tamen adhuc gentilitius error radicitus avulſus, cum Hiſtoria Miſcella lib. 16. referat Juſtinianum anno tertio imperii ſui, qui complebatur menſe Aprili A. C. 530. legem edidiſſe ne in imperio pagani vel haeretici eſſent, ſed ſoli orthodoxi Chriſtiani datis indutiis trium

menſium

menſium ad converſionem. Sane l. 19. C. de haeret. data exeunte dicto A. C. 530. innuit conſtitutiones a ſe contra paganos latas, quarum nonnullae, ex graecis titulis recenſentur in relato tit. de haeret. aliaſque poſterius evulgavit; denique ex Nomocanone tit. 6. c. 3. tit. 12. c. 9. tit. 4. c. 4. & tit. 1. c. 10. contra paganos graecarum conſtitutionum habetur epitomes cum verſione Antonii Contii, ex quibus omnibus liquet Chriſtianorum Imperatorum conatus ut pagana ſuperſtitio deſtrueretur.

Denique a paganorum ſuperſtitione tranſit Imperator ad haereticorum ſectas jubens ut conſtitutiones contra eos latos *ceſſante deſidia celeri executioni mandentur*. Ex quibus manifeſta fit haereticorum ſagacitas & pertinacia, ſive etiam Praeſidum ignavia, ne dicam favor vel avaritia, ut Imperatorum leges eluderentur, eaeque ſine executione jacerent. Ac primum enumerat Manichaeos, & Eunomianos, dein Montaniſtas, Catafrigas, Fotinianos, Priſcillaniſtas, Aſcodrogos, Hydroparaſtatas, Borboritas, & Ophitas. Notandum tamen. I. Ex hac novellae parte nullam legem Tribonianum deſumpſiſſe, quod haec novella tantummodo legum latarum jubeat executionem. II. Decem harum ſectarum impia nomina a Theodoſio recenſeri praeter Judaeos, Samaritas & paganos, ex quibus decem Juſtinianus tempore ſuo quinque tantum nominat Manichaeos, Montaniſtas, Aſcodrogos, Borboritas, & Ophitas l. 18. l. 19. l. 21. C. de haeret. praeter Judaeos, Samaritanos, & paganos. Modo de ſingulis videndum. Manichaei dicuntur a Theodoſio *Deo ſemper offenſi*, *Manichaicus furor* a Juſtiniano l. 21. C. de haeret., quae peſtis nedum in Oriente, ſed etiam in Occidente graſſabat ex Valentiniani tertii novella tit. 2. de Manichaeis data A. C. 445. cujus initialibus verbis dicitur *ſuperſtitio paganorum quoque damnata temporibus*, quia etiam gentiles hanc gentem veluti Romano orbi inimicam abominabantur; cujus rei illuſtre eſt exemplum Diocletiani ex Codice Gregoriano relatum ab Auctore Collationis legum Moſaicarum tit. 15. quod aliquamdo vindicabo a Samuelis Baſnagii ſuſpitionibus Tom. 2. annal. Eccleſiaſt. A. C. 287. pag. 451. Sane relata novella Valentiniani dicitur gens ini-

mica publicae diſciplinae, & hoſtis fidei Chriſtianae,execrabiles & toto orbe pellendos, quae data eſt ab eodem Romae menſe Junio Divo Leone Summo Pontifice hortante, a quo eorum obſcoena detecta fuerant ex ejus Sermone 5. de jejun. decim.menſ. cujuſque rei meſſem relinquimus doctiſſimis viris fratribus Balariniis in nova eorum editione Operum S. Leonis. Hi autem conjunguntur maleficis in tit. 4. lib. 19. C. Gregor. & ab Auctore collationis Moſaicae Mathematicis, ſive aſtrologis *tamquam nec ipſi a curioſis & magicorum artibus alieni*, ut ibidem obſervat vir celebris Schultingius in notis. Quae ars mathematica hoc eſt genethliaca jam & ipsa prohibita ex Tacito annal. lib. 2. & Lipſio in notis ad eumdem, quod oſtendit etiam Diocletiani ſeu Galerii reſcriptum l. 2. C. Juſtin. de maleficis & mathematicis. De Manichaeorum autem haereſi plura Epiphanius in eorum haereſi 66. n. 13. & 88. deque illis late J. Gothofredus in parat. & comment. C. Theod. de haeret. qui a Diocletiano in collatione Moſaica dicuntur progreſſi e Perſica gente, quorum inauditam ſectam exagitat, quaeque ex eo reſcripto multum eo tempore furebat; caeterum ejus auctorem Probi Imperatoris temporibus fuiſſe conſtat ex Epiphanio, Hieronymo de ſcriptoribus Eccleſiaſt. & Socrate Hiſt. lib. 1. c.22. Poſt Manicheos ſequuntur Eunomiani, qui dicuntur a Theodoſio *haereticae fatuitutis auctores*: hi nominantur Can. 1. Concilii Conſtantinopolitani habiti ſub Theodoſio Magno A. C. 381. & l. 6. C. Theod. de haeret. qua horum haereſis dicitur *perfidiae crimen*, ita dicti ab eorum auctore Eunomio, qui per ea tempora vivebat, ut obſervat Gothofredus, de quibus Epiphanius in haereſi Anomaeorum 76. n. 4. qui docet eos Arianorum haereſim majori impietate ſuperaſſe, perfidam gentem, nequiſſimam ſectam l. 25. C. Theod. quos Gothofredus negat ſpadones fuiſſe. Montaniſtarum qui tertio loco nominantur, mentio in Cod. Theod. antiquior non eſt l. 34. A. C. 398., quorum ut & Eunomianorum Codices *ſcelerum omnium doctrinam continentes* quaeri jubentur & comburi, quique pro reatus ſimilitudine Samaritis comparantur l. 21. C. Juſt. Succedunt quarto loco Phryges, ſeu Cataphryges ita dicti etiam

ab

ab Euſebio Hiſt. Eccleſ. lib. 5. c. 14. & 16., de quibus Epiphanius haer. 48. & ad eum Petavius, quos hic Theodoſius ſeparat a Priſcillaniſtis, etſi iidem ſint ll. 40. & 49. C. Theod. de haeret. & Epiphanio dicto loco, & haer. Priſcillaniſtarum 49. Fotiniani quinto loco nominantur, ſeu Photiniani a Photino Epiſcopo Sirmienſi, de quibus Epiphanius haer. 71. dicitur *Fotinianae labis contaminatio* l. 6. C. Theod. de haeret. de quibus relatus Canon Conſtantinopolitanus. Priſcillaniſtae habentur ſexto loco a Priſcilla, quam foeminam tanquam prophetiſſam Phryges jactabant ex Epiphanio haer. 48. & 49. Aſcadrogi ſeptimo numerantur, qui Aſcodrogitae dicuntur l. 18. C. Juſtin. de haer. Taſcodrogitae ll. 19. & 21. ejuſdem Cod. quos eoſdem eſſe obſervat vir illuſtris in notis ad hanc novellam, de quorum haereſi Epiphanius haer. 48. n. 14. & Philaſtrius haer. 76. qui Samaritis non abſimiles dicuntur pro reatus ſimilitudine l. 21. C. Juſtin. quique digitum indicem naſo ponebant quamdam animi triſtitiam ſimulantes, quique utrem inflatum opertum in eorum conventiculis ponebant, quemque potibus inſanientes circumibant. Hydroparaſtatae ſuccedunt ſeu aquarii, qui ſola aqua utebantur ex Epiphanio haer. 47. n. 1. Hydroparaſtatis proximi habentur Borboritae, ita dicti etiam ll. 19. & 21. C. Juſt. de haeret. Borboriani l. 65. C. Theod. quae eſt l. 5. C. Juſtin. qua Borboritae, ἀπὸ τȣ̃ βορβόρȣ a coeno, quo ſe volutabant carnalibus voluptatibus ſe contaminantes, vide Epiphanium haer. Gnoſtic. 26. n. 3. & notata ad hunc novellae locum a Cl. Viro, quos Juſtinianus l. 21. C. de haeret. ait eſſe Manichaici furoris partem. Tandem ultimo loco veniunt Ophite ἀπὸ τȣ̃ ὄφεος a ſerpente, quem ſtulte celebrabant tanquam boni malique auctorem ex Epiphanio haer. 37. & Tertulliano de praeſcrip. c. 47. de quibus vide notata a Viro docto ad hanc novellam; quorum nulla expreſſe mentio eſt in Cod. Theod. & ſi etiam contra hos indigitet Theodoſius conſtitutiones latas: qui comparantur Samaritis pro reatus ſimilitudine l. 21. C. Juſtin. Cum tamen l. 59. C. Theod. de haeret. legatur *Fryges, quos Pepyzitas, ſive Priſcillaniſtas, vel alio latentiore vocabulo appellant*, Gothofredus notat ſe putare ſub

illo

illo latentiore vocabulo intelligi Taſcodrogitas, Ophitas, Borboritas, Paſſalorinchitas, Aſcodrogos, Artotyritas: verum illud ſtultae mentis vocabulum ea lex refert ad Phrygas, alia vero haereſum impia nomina quamdam inter ſe praeterunt diverſitatem, quod colligas ex Epiphanio & jam dictis. Denique digna obſervatione eſt alia ipſius Theodoſii junioris l. 65. C. Theod. de haeret. data A. C. 428. qua viginti trium haereſum nomina numerantur Pelagianorum mentione omiſſa, quod illis Neſtorius faveret, ut obſervat Baronius dicto anno n. XXVII. qui eo anno Epiſcopus Conſtantinopolitanus factus fuerat, de quibus tantum novem in hac novella recenſentur, in qua etiam Neſtoriani omittuntur contra quos legem evulgaverat A. C. 435. quae eſt ultima C. Theod. ſeu l. 6. C. Juſtin. de haeret. in Epheſina Synodo jam A. C. 431. damnati. Cum autem Juſtinianus l. 21. C. Juſtin. haereticorum duas claſſes fecerit, in quarum una recenſet Manichaeos, Borboritas, Paganos, Samaritas, Montaniſtas, Taſcodrogitas & Ophitas, alioſque in unum cenſum poſuerit, neque omnes pari auſteritate punierit, ſed illis omne teſtimonium, & alios legitimos actus interdixerit, coeteriſque permiſerit inter ſe teſtes eſſe, exiſtimandum eſt illos pertinaciores fuiſſe, quorum numero, & fatuitate Oriens agitaretur, cum lex data ſit Joanni Praefecto Praetorio Orientis A. C. 531.

CAPUT VII.

Antiquae formulae adloquendi Praeſides in legibus ſervatae etiam poſt Conſtantinum Magnum. Thalaſſius Praefectus Praet. Illyrici Orientalis ſub Theodoſio juniore.

ITaque Theodoſius mandat Florentio, ut celeriter exequantur quae *inſatiabili Catholicae religionis amore* decrevit, quem vocat *Flcrenti Parens Kariſſime atque amantiſſime*, quorum tamen loco obſervat Vir Clariſſimus in MSS. Wrceburc. & Gothan. legi *Flcrenti P. K. A. A.* quae cum Briſſonio Formul. lib. 3. interpretanda veniunt *Parens Kariſſime Auguſtorum*, quid-

quid

quidquid ſenſerit vir doctus auctor Obſervat. Miſcellan. Britannic. Volum. 4. Tom. 2. contendens eas ſiglas A.A. ſignificare *atque amantiſſime*, nedum quod Praefecti Praetorio vocati fuerint ab Auguſtis *amantiſſimi* ut apud Spartianum in Geta cap. 2. quo Juvenalis dicitur *amantiſſimus*, & in novella 17. de repudiis ab eodem Theodoſio dicatur Florentius *parens chariſſimus, atque amantiſſimus*, ita quoque Symmachus ab Honorio in Auctario Symmachi epiſ. 20. 23. 25. verum etiam quod jam dudum verborum aucupia atque ſolemnitates eſſent ſublatae, propterea hujus aevi ſcriptores ſe non alligaſſe conceptis ſemper verbis: denique ſi ſolemnibus verbis appellandus fuiſſet Praefectus Praetorio quod ea non praeteriiſſet Caſſiodorus in formul. Praef. Praet. lib. 6. Variar. 3. ſiglas enim A.A. in publicis actis & edictis ſeu legibus (hoc enim quaeritur) Auguſtos ſignificare praeter Magnonem in notis juris plura ſunt argumenta. Nam ſolemnia verborum ſublata tamquam aucupia & tendiculae ſunt formulae juris & legum, de quibus late diſputat Gothofredus prope medium Comment. l. 3. C. Theod. de ſtudiis liberalibus, ſtilus tamen permanſit ſeu formula adloquendi Praeſides, dum eis leges, vel edicta ab Auguſtis mitterentur, exempli eſſe poſſunt quarumdam legum inſcriptiones *Habe aut Have K. N.* vel *NB.*, quod nedum in legibus Diocletiani, ſed etiam C. Theod. qui a Conſtantino incipit, jam obſervavit Cujacius lib. 1. Obſervat. c. 15. quae literae explicantur *Have kariſſime nobis*, uti aliquamdo a librariis ponuntur, eaeque ſiglae in relato C. Theod. apparent multo poſt Conſtantinum l. 44. C. de haeret. data A. C. 408. inſcripta *Have Donate K. NB.* Uti autem haec ſalutandi familiaritas ab Auguſtis adhibebatur, ita hac alia in fine utebantur *vale cariſſime nobis*. Extat exemplum apud Sponium Miſcellan. erud. antiq. pag. 355. graecae & latinae inſcriptionis Valeriani & Gallieni, in cujus latinae fine legitur *Vale Aſella cariſſime nobis*, quae formula in mandatis quoque Principum manſit multo poſt Conſtantinum ejuſque liberos, cum legantur mandata Imp. Honorii ad Marcellinum, quae habentur in Actis Collationis Chartaginienſis, quaeque integra retulit etiam Gothofredus

in

in Comment. l. 3. C. Theod. de religione A. C. 410., quae ſubſcribuntur *Vale Marcelline chariſſime nobis*. Praeterea Auguſtos appellaſſe viros illuſtres parentes & amicos ſuos liquet l. 4. C. Juſtin. *de locato*, l. 17. ff. *de jure patronatus*, inſcriptio quoque eſt apud relatum Sponium pag. 353. Atilii Maximi, qui dicitur ΚΡΑΤΙΣΤΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΚΑΙ ΦΙΛΟΣ ΗΜΩΝ *optimus Proconſul & amicus noſter*, quae formula apparet etiam in Conſtantii Conſtantini filii l. 6. C. Theod. *de annona* A. C. 354. qua legitur *Rufini viri clariſſimi & illuſtris Praefecti Praetorio parentis amicique noſtri*, quae *parentis* denominatio conjuncta *cariſſimi* appellatione duabus ſiglis expreſſa *P. K.* legitur etiam in Valentiniani tertii novellis *de honoratis* tit. 48. inter Theodoſianas tit. 46. *ne duciani vel limitanei*, tit. 45. nov. 2. & tit. 44. quibus additur alia ſigla ſeu litera *A* novel. tit. 24. *de Epiſcop. ordinat.* & tit. 28. & 30. quae non aliter explicari poſſunt quam *parens chariſſime Auguſti*. Cumque legibus & edictis licet eſſent unius Imperatoris, ſolerent inſcribi etiam alii Auguſti, qui ſimul imperarent, ita geminabatur, ſigla ſeu litera *A* ut denotarentur in imperio collegae; Praeſideſque appellabant parentes cariſſimos Auguſtorum. Et ſane ſi ſimplex *A* non aliter interpretanda venit quam *Auguſti*, cur ejus ſignificatio invertenda eſt in *atque*, & alterius *A* in *amantiſſime*? Quare loca Spartiani in Geta, & Symmachi non ſunt argumenta probantia explicationem illarum literarum in conſtitutionibus, legibus & edictis. Non enim ſtilus & forma ſervari ſolita in actis publicis ſervari opus erat, quamdo aliter ſcribebatur, nam tunc neceſſe non erat ſe obſtringi conceptis verbis. Etenim Caſſiodori ſexti ſaeculi auctoris relata formula tertia Variar. lib. 6. mens eſt Praefecti Praetorio dignitatem & officium deſcribere, non vero quo honore, quo titulo, quibus praeconiis dignaretur; namque quo ad novellam 17. Theod. *de repudiis*, cui addi poſſunt aliae, eaſque praeter l. 2. C. Theod. *de Epiſcop. judic*, ſi tamen genuina, quibus per extenſum legitur *Parens chariſſime atque amantiſſime*, id a librariis evenit, vel amanuenſibus, qui proprio Marte ſiglas deſcripſerunt.

Ut interea novella lex exequatur, mandat Theodoſius Florentio,

tio, ut *propoſitis ſolemniter edictis in omnium faciat pervenire notitiam.* Nam Praefecti Praetorio ſolemnibus edictis Principum legem provincialibus notam faciebant; propterea l. unica C. Theod. *de grege dominico*, quae eſt unica dicti tit. C. Juſtin. legere eſt *propoſitis ſolemnis magnificentiae tuae minimi maximique moneantur edictis, ut ſciant &c.* item *univerſos auctoritas tua propoſito edicto commoneat* l. 3. C. Juſtin. *de veteris numiſm. poteſtate* & *edictis propoſitis per omnes provincias edicta* faciebant divulgari l. 14. C. Theod. *de bonis proſcriptorum* ſeu *edictis propoſitis ſanctiones* divulgabant l. 26. C. Theod. *de Cohortal*: Nedum vero ipſi, edictis monebant provinciales, vulgabantque Principum ſanctiones, verum etiam Praeſides monebant ut eas divulgarent, eaſque palam provincialibus facerent quare Theodoſius praecipit Florentio ut hanc novellam *Provinciarum quoque moderatoribus praecipiat intimari, ut & eorum pari ſollicitudine cunctis civitatibus atque provinciis quae neceſſario ſancimus innoteſcant*, hoc eſt cunctis civitatibus & provinciis, quae ſuberant Praef. Praet. Orientis ſub cujus diſpoſitione erant Dioeceſes quinque, Oriens, Thracia, Ægyptus, Pontus, & Aſia, de qua re Cujacius parat. C. Juſt. *de officio Praef. Praet. Orient.* & J. Gothofredus in notitia hujus dignit. quarum quaelibet ſuas provincias habebat, & harum quaelibet ſingularem Praeſidem, qui praeerat provinciae ſibi creditae, & civitatibus in ea contentis, ipſe autem Praef. Praet. Praeſides ſeu Judices ſibi ſubditos habebat l. 38. C. Juſtin. *de Decurion.* Verum ut per totum Theodoſi imperium evulgaretur lex novella miſſa eſt *eodem exemplo Praef. Praet. Illyrici*, nempe Orientalis, quod duas dioeceſes continebat Macedoniam, & Illyricum ſeu Daciam; pari modo l. 8. C. Theod. *de principibus agentium in rebus miſſa eſt eodem exemplo Regino PP. Illyrici*, quod aliis exemplis firmare ſupervacaneum eſt. Acceptae autem ab his ſanctiones proponebantur in civitatibus, earumque celeberimis locis ubi major eſſet populi frequentia, ut facilius Principis juſſio nota fieret, de qua re Gothofredus in prolegom. & parat. C. Theod. *de conſtit. Principum*, propterea paſſim in ſubſcriptionibus legitur *PP* hoc eſt *propoſita* ſeu *pro-*

 poſitum,

ſcriptum, quae literae frequentes ſunt etiam in privatis reſcriptis, quibus ſignificatur propoſitum fuiſſe reſcriptum apud acta, ubi lis erat, de quo more plura Gothofredus in parat. C. Theod. *de denuntiatione vel edit. reſcript.* Coeterum Praefectus hic Praet. Illyrici, cui mittitur idem exemplum, erat Thalaſſius ex novella ejuſdem Theodoſii tit. 6. Dat. III. Id. Aug. A. C. 439., ex qua deſumpta eſt l. unica C. Juſt. de ſententiis Praef. Praet. & l. 7. C. Juſtin. *de advoc. diverſ. judiciorum*. Dat. VII. Id. Sept. qui fuerat Comes rei privatae A. C. 430. l. ultima C. Theod. *de petitionibus* Caeſareae Cappadociae ex Socrate lib. 7. c. ultimo. Inter Anecdota graeca V. Cl. Muratorii eſt epiſtula Firmi Epiſcopi Caeſarienſis inſcripta Θαλασσιῳ, quem patria Caeſarienſem, ſummae potentiae virum, patriamque ſummis bonis ornaſſe ſignificat. Cum autem Socrates narret Thalaſſium qui adminiſtraverat praefecturam, factum fuiſſe hoc anno Epiſcopum Caeſareae in locum Firmi demortui, ex ſubſcriptione relatae legis Juſtinianeae diſcimus id eveniſſe poſt diem ſeptimam Idus Sept. Interfuit pſeudoſynodo Epheſinae A. C. 449. ſed abſolutus in Chalcedon. Concil. contra Dioſcorum ſubſcripſit A. C. 451. vide Act. 3. hujus Conc. Valeſium ad relatum Socratis locum, Baronium dictis annis, Pagium & Tillemontium in Hiſtoria Imper. A. C. 449. & 451.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.